# SERENISSIMO GALLIARVM DELPHINO LVDOVICI XIV. REGIS CHRISTIANISSIMI FILIO



# GENETHLIACON:

*DICTVM IN AVLA COLLEGII ROMANI*

AVCTORE IOANNE LAVRENTIO LVCCHESINIO
Lucensi è Societate IESV.



Romæ, Typis Ignatij de Lazaris, 1662. *Superiorum Permissu.*

# SERENISSIMO GALLIARVM DELPHINO LVDOVICI XIV. REGIS CHRISTIANISSIMI FILIO GENETHLIACON.


DICTVM IN AVLA COLLEGII ROMANI;

AVCTORE IOANNE LAVRENTIO LVCCHESINIO

Lucensi è Societate IESV.



Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. [illegible]. Superiorum permissu.



EMINENTISSIMO PRINCIPI

# ANTONIO CARD. BARBERINO

S. R. E. CAMERARIO

*IOANNES LAVRENTIVS LVCCHESINIVS F. E. L. I. C.*



REGALI solum ab argumento commendatum hoc Genethliacon Tuo iussu prodit in lucem, Eminentissime Princeps, qui Apollo dicenti adfuisti, Tuoque nunc No-

mine carminibus hiſce præfixo lucem illis impertiris, quemadmodum ſol nubes intuitus, induit ſua luce Paraelias. Eruditum Sapientiſsimus Princeps Delphino excitas plauſum, vt idem Religioſiſsimus, ob exortam præproperè cum Regia Ludouici prole Mundi lætitiam, quinquaginta Virginibus dotem, innumeris egenis argentum, Euchariſticon Numini repoſuiſti. Sed Munificentia Regibus par quibus gaudij argumentis excepiſti Regalem partum? Prodigia liberalitatis Tuæ Roma ſuſpexit, cum auream è Tuis Aedibus deuolutam pluuiam, manantes Gallico vino fontes, impoſitam Pincio colli Dædaleam Aetnam ludicris ignibus mirè fœcundam, & ab illius dehiſcentis incendio hauſtum Diſcordiæ ſimulacrum vidit, reuocata in animum lætitia Pacis,

olim

olim partæ à ſpe naſcituri Delphini: Et ipſa quidem cum Hymenæo Pax inſidens moli tam ingenti vi luminum Delphinum coronabat, vt æmula diurnæ lucis nocte gauiſa ſit Roma, & Luna pudore ſuffuſa, quòd ſuos radios æmularetur Tellus, ſub nubem receſſerit, ne ſuperari à Delphini Solis luce videretur: in quam extemporale carmen effudimus, conſequenti mane publicè habitum, aperto nobis Hippocrenes fonte ab Apolline, Te ſcilicet, Eminentiſsime Princeps, quem adeo commendare geſtiunt Muſæ, vt vel nobis carmina ſuperſint, poſtquàm innumeri ſcriptorum calami alacriter deſudarunt, vt promeritis Te ad Cœlum laudibus efferrent. Tot enimuerò volumina Tuo inſcripta Nomini quæſiuere ſuperbiam, vt ſi in vnum confluerent,

in-

ingens ex ijs tantummodò Antonia Biblioteca conflaretur; Cum enim in dies gestum faciat in mundi Theatro Virtus Tua certans cum Regibus, omnium commendationes lacessit Magnanimitas illa, Humanitas, Pietas, Liberalitas, vel in ipsos Reges Munificentia. At Genethliacon Delphini à Tua Purpura cogitur mutuari splendorem, cum amicissimum Gallico Soli Sidus Te Roma veneretur, & Regale Argumentum sub auspicijs Illius prodire gestit in lucem, quem Regibus virtus immiscet. Phœnicis annos Tibi largiatur Deus, vt diutissimè Roma suis delicijs perfruatur, Tuamque fortunam amplificet, quæ dum Tua est, omnium quoque fortuna est.

# PROLVSIO.




*ALLICI Delphini exortus, Eminen: PP. adeo mortales exhilarauit, vt ab vnius Infantis vita omnium fata pendere videretur, & conqueri propemodum debeat Gallia, quòd externa argumenta lætitiæ superare vix possit. Arion huic Delphino debebatur; sed nostram tenuem Musam prouocauit ad cantum, vt Solem se ostenderet, lapides animando. Cum autem ea die Sol hic nobis affulserit, qua festum triumphum ducebant Beati Ciues, nosque illorum omnium solemnia recolebamus, ac dum consilia sacri Fœderis agitantur, paruulus hic Alcides in lucem prodiuerit, ansam præbuit Mortalibus immiscendi Sidereos Reges, in quorum Concilio consulentium de fœdere conflando contra Turcas, S. Albertus Archidux Austriæ asserit has partes esse S. Ludouici Galliarum Regis, vtpote qui Proauus est Regum, & Principum omnium, qui Christianam nunc Rempublicam moderantur. Ille verò felicem rei exitum spondet, si filius Iuueni Galliæ Regi nascatur. Quod tunc decreuit Vrna Diuorum, spe certa percipimus post Ortum Infantem, cuius nuncius quadraginta aureorum millibus, & oblato milite Venetos in Thraces armauit. Quamuis olim Præsidi Natalium Deo cruentæ victimæ non placerent, gratissimæ Numini accident innumeræ Turcarum Hecatombæ in gratiam exorti Delphini à Patre Rege immolandæ, cui properè Cælum pretiosam Filij vitam millenis alijs cariorem donauit, ob innumeras ætates militum suorum, quibus, Pace stabilita, pepercit. Postquam Numinis decretum Delphinum Gallis indulsit, illoque comperto sidereus Delphinus choreas duxit astrorum, quæstio surgit amabilis de futura indole pueri, quam dum vnusquisque Diuorum Regijs virtutibus adornare contendit; quodammodo incogitanter delineat mores Ludouici XIV. quibus Regia Proles insistat. Adeo Rex Optimus virtutem in delicijs habet, vt in illam intendere obtutum nemo possit, qui non incurrat in imaginem Ludouici, Diuorum quoque plausus promeriti. Demum prodigia quam plurima, quæ nuper acciderunt, ad omen huius felicissimi partus Poeticè detorquentur.*

IOANNES PAVLVS OLIVA SOCIETATIS IESV
Vicarius Generalis.

CVm Tria Poemata Ioannis Laurentij Lucchesinij nostræ Societatis Religiosi, ij, quibus censendum commisimus, reuiderint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur, cuius rei gratia has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus. Romæ 5. Maij 1662.


*Ioan: Paulus Oliua.*



*Imprimatur.*


Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

*O. Archiep Patracens.*



*Imprimatur.*

Fr. Seraphinus Bertolinius Magister, & Socius Reuerendissimi Patris Mag. Sacri Palatij Apost. Ord. Præd.



# DELPHINO
## LVDOVICI DECIMI QVARTI
## GALLIARVM REGIS CHRISTIANISSIMI
# FILIO
# GENETHLIACON.





VERA ne festiuo tuba concinit aurea cantu?
Ludimur, an superi manibus dant lilia plenis
Blanditi nimium terris? cur prodiga differt
Munera fatorum, manifestaq; gaudia mundi
Excipere exultans animus? nimis astra tuentur
Lumine nos fausto: Charites cur agmine facto
Huc properant? mores remanent, cur sæcla nouantur?
Ferrea gens viuit, sæclumque superbiat auro?
Obruimur donis: hilarat Pax aurea terras,
Christiadum Pax: Odrisios armatur in hostes,
Gallicus exortu DELPHINVS recreat orbem,
Implet, io! teneris infans vagitibus auras
Quemque serenato pax candida suscipit ore
Nutrit in excidium Thracum: Thaumantias Iris
Haud aliter flectit, pacemque denotat, arcum:

 Ex-

Excepere Patrem cunabula sparsa tropheis:
Reptauit per tela puer, clypeoque virilis
Posthabuit cunas infantia; Bellicus ardor
Hoc tamen auctore in cineres consedit. Alumnus
Tu pacis sacros ne despice Martis amores.
Vagitum trepidant Thraces, maculisque notatur
Cynthia Bistonidum, Gallis dum fulget Apollo.
Armorum studium cum fortior hauserit ætas,
Hastis inserta, atque hostili educta cruore,
Gallica Iessæis florebunt lilia campis.
Iam Libanus Cedros, palmas tibi nutrit Idume,
Maternis post bellum Aquilis paritura quietem.
En timidis Hebrus placidus perlabitur vndis,
Stare cadaueribus metuens, & crescere fluctu
Sanguineo: en ortum Herois denunciat vndis
Hellespontiacis, queis naufragus incubat horror.
At cur, delicium mundi, properauerit infans,
Aurea magnanimis qui feruet sæcula Gallis,
Maternam expediens faustis natalibus aluum,
Dicite Cœlicolæ; neque enim sine Numine vestro,
Annua dum festa celebrans solemnia luce,
Communes Tellus Diuis gratatur honores,
Optatus Diuis, at Terris nascitur infans,
Et vindex oritur fidei, quæ prælia miscet,
Agmina festiuum ducant dum vestra triumphum.
Vos mihi Pierios, Diui, fas pandere fontes,
Vos immortales lauros, queis lilia nectam,
Hùc è sidereis largè properare vireto,
Tu quoque magnanime ANTONI, quem Regibus æquat
Purpura, Regalesque animi, qui nomen ad astra

Euehis, & factis imples Regalibus Orbem,
O decus Italiæ, quo ſidere gaudet amico
Rector Sequanici Cæli, tu lumine blando
Huc ades, & facilis iuuenilibus annue Muſis.
To Pindi celebrare ambit chorus, vt ſua Mundo,
Quæ natus peperit Delphinus, gaudia pandat.
Nos rapit ad cantum nox inuidioſa diei,
Innumeris flammis animata, argenteus imber,
Ludicra per pictas ruitura incendia turres,
Lætitiæ argumenta tuæ, ac plaudentis amoris.
Quà Martis grato ſidus terrore coruſcat,
Panditur Heröum regalis curia Diuûm,
Regnati quibus Orbis onus non preſſerat ignes
Magnanimos cordis, ſuperûm ſed ſponte minores
Principe dum dicunt ſeſe, poſt funera Regnum
Ditius accipiunt, mundi qui torquet habenas,
Hos Deus Imperij ad partem vocat: Ergo regendis
Impoſiti terris ad Martia tecta frequentes
Conueniunt, cum poſcit opem bellantis Olympi
Relligio, armorum furijs agitata profanis.
Hìc arcus, ac tela rigent, quibus actus ab aſtris
Lucifer, hìc rutilant claues, quibus Oſtia Cœli
Æquoreo mundum merſurus funere, vindex
Explicuit Deus, hìc fulmen fatale ſuperbis;
Poſtibus his aries pendet, pondusque tridentis
Cernitur immane, vltoris quibus ira Tonantis
Fundamenta quatit telluris, & æquoris vndas
Suſcitat: hìc clypei non enarrabile textum
Ordine diſtinctum triplici, namque extimus aſtris
Sapphiro nitet intextis, criſtallinus ictus

Emin. Card. Antonius Barberinus Dicenti aderat Auctori.

 Ex-

Excludit, peſtemque, pijs quam intentat Auernus.
Tertius at radiat gyrus flammante Pyropo,
Prorípit ac terror ſeſe ex vmbone vomentem
Ore faces, vaſta & referentem mole Gigantem.
Nunc equitum, peditumque acies effulgere credas
Fallacis campo clypei, nunc feruere claſſes
Oceanum ſupra: illudunt ſic aſtra rebelles
Numinis, haud veritos in Cœlum bella mouere.
Fulminei hęc celebrant armamentaria Cœli
Purpurei Heroës, quos inter amabilis ore,
Diuinum ſpirans oculis regalibus ignem,
Lilia cui clamidem ſpargunt certantia ſoli,
Gallorum Ludouicus amor, ſic ora reſoluit.
Siderei Proceres, quia nam ſententia Regum
Ancipiti dudum librata examine pendet?
Fœdera quid ceſſant? cur pax ignaua veterno
Chriſtiadas tumulat, belli paritura ruinas?
Fraternas iterum clades, palmasque ſitimus
Victori flendas? iterum ferale cruentus,
O ſuperi, patrijs epulabitur artubus enſis?
An pia Relligio buſtis affuſa ſuorum
Ore leget maternam animam, ſua vulnera certa
Illacrimans, dubij tulerint quę fata Gradiui?
Gallorum haud equidem vis feruida deſidis oti
Succumbet ſtudijs. Faciet belli impetus hoſtes,
Extera ſi deſint, in matris viſcera ferrum
Conuertet furialis amor ſęua arma mouendi.
Nec luet Odriſius raptor, quę dira minatur,
Capta Varadini poſt mœnia: ducere currus
Italiam verſus, mediaque equitare Vienna?

So-

Sola ne multiplices Aquila indignata colubros
Inuadet, nec aues Reginam ad bella sequentur?
Pugnaces Venetûm percurrunt æquora classes,
Nec properant alij Regni immortalis amore
Purpuream vomuisse animam? Mea lilia campis
Debentur Solymę: morituro lapsus ab astris
Sic mihi sidereus de Numine detulit ales,
Æstuat ignitis Lybię quà littus arenis.
Tabida cum fractos febris depasceret artus,
Et duo natorum post funera, vestra subirem
Hospitia, ingentes animę: non est mea tanti,
Dicebam, virtus, vt spinea serta coronent
Me Solymę Regem, vt dissoluam Numinis vrnam.
Coniurata lues in me pugnauit; at ipsos
Soluere victores victis vectigal adegi,
Ne premere vlterius vellem: trepidantibus insta,
Quicumque è nostro deduces semine vitam.
Emicat in venis cruor, & dum nobilis ira
Rursus ad arma vocat, vix astra quieta placetis:
Vos ego purpurea gestirem morte pacisci.
Sed blandita oculis tunc mortis fulsit imago,
Et curas adimunt dubias mandata Tonantis,
Exorere at nostro de puluere bellicus ardor,
Qui face Memetis prolem, ferroque sequutus
Inferias proauis soluas, & munera Cęlo.
Nunc, olim rapite arma manu: quis cęde Tyranni,
Excidio Saracenûm quis consecrat iram?
Talibus orabam, iuuenis cum fulsit ab astris
Numinis interpres, nostraque è gente futurum
Dixit, ad auroræ imperium qui sacra latinæ

Inueheret fidei, ſceptroque potitus, auitis
Relliquias Thracum ſeſe abdere cogeret antris.
Nunc impune volant, nec proſunt aurea Pacis
Munera, communes vt pax armetur in hoſtes?
Arma, io! ſuperi: placeant ſi fœdera Diuis,
Thracis in excidium miſcebunt agmina Reges.
Dixerat: vnanimes Diui aſſenſere; ſed inſtat
Fatorum ſeries libranda, vt fœderis ardor
Regia amabilibus ſuccendat pectora flammis.
Auſtriadum hic Regum ſoboles Auguſta, Trionum
Gloria, de ſolio quem virtus intulit aſtris,
Excipit Albertus: tua ſunt hæc munera, Regum
Communis, Ludouice, Parens: tu fæderis auctor
Corripe natorum cor ſacri Martis amore.
Nam qui non veſtro fluxerunt fonte nepotes,
Chriſtiadum Reges qui nunc moderantur habenas?
Valeſios poſtquam terris inuidit Olympus,
Gallia Borbonijs paret: tuus his dedit ortum
Regalem natus, ſorte, haud virtute ſecundus.
At mea de veſtra quantum Auſtria ſtirpe ſuperbit,
Valeſijs regum ſocijs in regna receptis?
Hinc adeo tua Germanis dat iura propago,
Et nutu regit Hiſpanos, & qui ſua iactat
Auſtriadum ſobolem veniſſe in Regna maritas,
Te quoque iactat auum: Imperij ſic rector Hetruſci,
Quicumque Auſonias & Princeps temperat Vrbes,
Germina ſunt Diuûm: ſunt & ſua dona Polonis,
Sunt Anglis; per mille fluit ſic flumina ductus
Nunc ſanguis, Ludouice, tuus, quem prodigus aſtris
Donaſti, gemina viduatus prole: profundi

S. Ludouicus Proauus eſt Regum, & Principum omnium, qui Chriſtianis Regnis præſunt.

Re-

Regina Hadriaci Gallos contingit amore,
Patritijs gauisa suis adiungere Reges:
Proximus at Cœlo Princeps tua Regna paternis
Stringit ALEXANDER studijs, iuuenisque seniles
Miratus Regis curas, mentemque tenacem
Iustitiæ, ac Fidei, reuocataque munera Pacis,
Amplexu fouet indulgens. Tu Regibus arma
Persuade, soboles Patris mandata capesset.
At freni indociles gentes tibi fęderis auctor
Conciliabit amor, laudumque exempla tuarum,
Bella Palestinæ calcar currentibus addent.
Hęc vbi plaudenti exceperunt murmure Diui,
Contra hilaris repetit Ludouicus. Præmia facti
Sit licet ipsa sibi virtus, & victor honorem
Post palmam referat, nobis properata laboris
Arridet merces: optata prole parentem
Florea regalem iuuenem si fecerit ætas,
Fœderis in partem sese prȩeuntibus addet
Gallorum Princeps, tardos prior ipse præibit:
Speratos pacis studio si sponte triumphos
Posthabuit, spernens nutritas sanguine laurus,
Sanguine Christiadum, generosi Martis amorem
Infundet Patri soboles, Puerilia bellum
Oscula, & amplexus producent funera Thracum.
An Solymæ sponsam nato pater inuidet Vrbem?
Nec data fatorum imperio sibi regna tuetur?
Quin potius proli cupidus protendere fines
Auroram quatiet: paruus cum ludet in aula,
Se referens natus, regni cui tradat habenas,
Inuida si lauros mutet Libitina cupressis,

 Ad

Ad bellum Alcides inuento curret Atlante.
Non tamen hunc terris rapient Capitolia Cœli
Præcocis ad palmæ donum, ſenioque labanti
Gallorum proprios amor illi deſtinat annos.
Sed cum vincendo feſſus tibi Martia tradet
Sceptra, Puer, ſolyma, Ægypto, Syriaque potitus,
Tu ſolis metire viam, patrijsque triumphis,
Poſt Thraces debellatos, intacta ſubito
Regna, ſibi Macedo quondam quæ fleuit adempta.
Sic erit: Auſtriacæ ſoboles augusta Parentis,
Spe blanda pacis quæ conciliauit amorem,
Fœdere coniunget, quos miſcet ſanguine Reges,
Et quò nunc Aquilæ, mox Auri flamma volabit
Thracis in excidium. Nec munera poſco nepoti,
Quæ meritum veſtra vrna neget. Cum ſceptra teneret
Europæ Mauors, adamante rigebat Olympus.
Hinc adeo extorquent quatuor poſt luſtra parentes
Regalem ſobolem: properent nunc munera, quando
Pax aperit Cœlum, mutataque ſidera mulcet.
Pacis in auctorem ruat ambitioſa ſororum
Progenies Charitum. Dixit, nutuque fauenti
Delphinum Gallis indulſit Curia Diuûm.
Intonuit læuùm, pertentant gaudia Cœlum:
Sidereus viſus Delphin agitare Choreas,
Aſtrorum ducens acies, pars migrat in aurea
Lilia, tu vultum ferrugine Cynthia tingis,
Inuidiam Thracum, miſerumque induta pauorem.
Sed quæ regalis mentem vis fingat Alumni,
Infundens membris generoſæ ſemina flammæ,
Ancipites diſpar traxit ſententia Diuos.

Pu-

Pugna oritur mitis, Martemque amor efferus armat.
Certatim puri vitales ętheris auras
Insinuant, solisque faces; sed pectoris aulam
Quæ prior Imperio laus temperet, ambigit vrna
Fatalis Diuûm: Iouis hic regnare sereni
Pacificos ignes, libræ cupit alter honorem,
Martius illum ardor stimulat: quæcumque recludunt
Debita magnanimis virtutes Regibus astra,
Deposcunt florere suas in Principe laudes.
Candida cui cordi Pax est, mitisque puelli
Innocui arrident, secreti à sanguine mores,
Et sincera quies: Fidei consortia, dixit,
Æternùm socient animos: felicia tellus
Fata cupit? nostri pax floreat hospita Regni.
Bellum Erebi soboles, patrium quæ ditat Auernum.
Lactant arma nefas, vitio stipendia quærunt.
Ceu quondam nostris animosa superbia regnis,
Stare tuis, Aquilo, pennis, soliumque locare
Ambijt, & patrio Numen depellere Cœlo:
Tum primum belli furor arsit, & agmina mille
Pręcipiti depulsa ruunt ad Tartara lapsu.
Munera sed Pacis qui vult ęquare canendo,
Parnasi numeret quot vernant vertice flores,
Vnde suo Musę circumdant tempora Regi.
Nunc illam Europę rursus consuescere Cœlo
Delphini genitor iussit: redeunt sua Musis
Otia: sancta Fides, Probitas, quas ire per Vrbes,
Deiecto mestas belli furor impulit ore,
Festiuas plaudunt choreas, nec lumina frontis
Dissimulant: erectę artes, Messe vbere campos

Flaua Ceres hilarat, quæque olim ſparſa cruore
Luxuriauit humus, nunc frugibus horrea ditat
Innocuis: en vt verſat dum vomere glebas,
Rusticus inſultat galeis, quas grata peredit
Rubigo. Nidum hic audax fabricabitur ales,
Bellicus agricolæ in falcem curuabitur enſis.
Hæc, Delphine, tui Genitoris munera pacem
Excipiunt; ſimili ſi duxeris indole mores,
Aurea, quæ vernant, te Principe ſæcla manebunt.
Deſierat, cum qui recti iuſtique tenacem
Fingere amat puerum, poſt quàm illi plurimus ore
Hæſit Auus, Patrijs inſiſtat moribus, inquit.
Hæreticos, qui poſt fœdus Rupellā ſe contulerāt, vertere ſolum coëgit.
Hunc Rupella, Frebo deducta Colonia, vidit
Cuſtodem legum; cum ſacri fæderis vltor,
Impulit extorres alijs ſuccedere terris
Oſores Latię fidei, quos illa ferarum
Luſtra prius patrijs non ſunt amplexa ſub antris,
Sed nouus excepit pacis poſt fœdera nidus.
Orangem diruit.
Perfidiæ, ac ſtygij Oranges prædonis aſylum,
Arcibus ille tuis impreſſo inſultat aratro.
Tu quoque ſacrilegis partim viduate magiſtris
Mons Albane iaces, quodque armis vincere iura
Auſus es, & ſcenam in Martis mutare theatra,
Regius obſedit miles mucrone viarum
Anguſtos aditus, ſcelerique imponit habenas.
Sic premit exultans Iuuenis ſeruile catenis
Perfidiæ collum, & pietas mitiſsima ferrum
Exacuit: terret ſontes properatus Auernus,
Quem parit vltoris vindicta æquiſsima Regis.
Hinc magis aurato iuuat ire ad ſydera curru,

Quam

Quam luctantem animum viuendo obtrudere Diti.
Atque adeo Latiam iam transfuga plurimus ambit
Rursus inire fidem, quem Regis gratia blando
Illicio traxit; sed primam vindicis iram
Principis excepit stygijs nunc missa cauernis
Hydra, venenatum pulchro quæ syrmate corpus
Integit, & furuis erectos crinibus angues
Cæsarie premit: huic scabra rubigine corpus
Strinxit liuor edax, miseros tremor occupat artus.
Gemmato pestem populis cratere natantem
Propinat: Diuina homines vt sceptra tremiscant,
Affingit vultus, crudeliaque ora Tonanti.
Quot, veluti Scythica religatus rupe Prometheus,
Impliciti vinclis (sic asserit Hæresis Hydra)
Currere coguntur, celeresque lacessere ventos?
At quibus Æolidæ labor imminet, ardua rupis
Pars ad siderei montis portanda cacumen,
Hos nodis Numen non rarò stringit ahenis.
Ni faciant; pestem, lethum; furiasque minatur,
Viuacesque Erebi flammas. Mezentius ergo
Mitis, & ingenium non est crudele Perilli.
Mugitus licet humanos, & viua suorum
Funera quæsierint; quis pœnas expetit vltor,
Principis Imperium seruus nisi viribus æquat?
Deficiant vires: Peccant auctoribus astris,
Quos onere immenso lex opprimit: his tamen Orcum
Diuini pietas mitissima destinat Agni.
Talia iactantem blanda sub imagine pestem,
Rex pius insequitur, ferroque atque ignibus vrget
Vlceris os: vidit flammis vltricibus haustos

Hæresis errores, hoc solum lumine dignos
Lutetia; extorris regno mox hydra facesset,
Vertice multiplici quæ iam viduata, maligno
Vix collo fœcunda regerminat, & face regis
Sæpius vsta, superbam ingloria protrahit aluum.
Hauriat omnem animo Proles imitata parentem;
Hinc odio sceleris, sancta hinc armabitur ira.
At qui regalem Pietati addicit honorem,
I puer, i quò te rapiunt exempla tuorum,
Dixit, quos pietas sacris altaribus auxit.
Patria te stimulis virtus propioribus vrget,
Quam neque Sirenes, nec pestis blanda, voluptas
Inflexit: non ille hostes, non fulmina Martis;
Vmbram flagitij trepidat, floremque iuuentæ
Innocuum superis donat pietatis Alumnus.

*Exercitum consistere iubet, dum Missæ sacrificium peragitur.*

Quid cum fulmineis alas donaret Enyo
Agminibus, Iuuenum Mars exultantia corda
Spe blanda raperet, partisque assueta triumphis
Arma manu fugerent, inimicum haustura cruorem,
Stare agmen Princeps, sopirique imperat ignes,
Dum tectum Mystes Cereris sub imagine Numen
Murmure fœcundo patrijs huc aduocet astris.

*Reginæ Pietas.*

Sed Genitrix Theresa suis informet Alumnum
Moribus, Austriacæ Pietas cui Gloria gentis
Regia sidereis animauit pectora flammis.

*D. Radegundæ sacro cœtui puerperio proxima adscribitur*

Illam adeo, parui vrgerent cum pondera Martis,
Mensis ab octauo tùm quando cœperat alter,
Cœtibus inscripsit sacris Radegunda volentem.

*D. Francisci pallium induit.*

Mox ardens prodire puer cum gestit in auras,
Ambit regali clamydi circumdare pannum,

Quo

Quo sese diues Francisci vmbrauit egestas,
Sideribus decoranda, & pulchro syrmate solis.
Tunc ostrum erubuit, doluitque superbia, gemmis
Pauperiem præstare suis, vel iudice Regno.
Singula complecti cupidum seges obruit ingens
Palmarum: petit hic patrium florere pudorem
In sobole, huic facilis rapuit clementia mentem,
Blandaque certatim sibi poscunt agmina Regnum.
Omnia sed miscent Superi dum semina laudum,
Concolor euasit Patri puerilis imago,
Et fausta litem Ludouicus voce diremit.
Si patrem referat natus, felicia Regnum
Fata manent, nostrisque fauet victoria votis.
Quas etenim anteferam patrijs è laudibus? vna
Dotem alijs geminat, veluti rosa mixta ligustris.
Bellicus ast ardor cur non præcordia circum
Funditur, & cladem Thracum vigor igneus ambit?
Hoc etiam de Patre decus cape Martia proles.
Illum fulmineis Bellona exceperat vlnis,
Vberibusque suis admouerat: ergo paternis
Se puer immiscet bellis, & prodigus æui
Regalis, primos frontem denudat ad ictus.
Mænia quâ ducunt hostilia parte ruinam,
Irrumpit victor primis glomeratus in vrbem.
Nec, si compescit, quam spes exasperat, iram
Pacis amor, tædasque fugit Bellona iugales,
Iucundæ cessant furiæ. Cur ludicra Martis
Vsque adeo arridet Regi simulacra ciere?
Desit arena: suos exultans flora Gradiuo
Concedit fines; talem Tolosa flagranti

Pater genitus bello flagrante.

Per diruta hostium mœnia inter primos vrbem inuadit.

Tolosæ in hortis lustrat exercitum.

Cam-

Campum aperit Regi, cui Martis castra viriles
Delicias pariunt, non segnis munera Floræ.
Hæc tibi perniciem intentant nutrita triumphis
Agmina, regnator Thracum, tibi destinat ictus
Progenies mea: tum Gallos ad bella sequemur
Siderei Herôës, nostris nunc Regia proles
Auspicijs sancta deducat ab indole mores.
Nec procul alma dies, cum Gallica lilia campis
Regnabunt Syrijs: Arabum vos, aruaque Nili
Suspirant fuso Thracum lactanda cruore.
Vos olim è nostris Charites legere viretis,
Gallica siderei vt flores vexilla notarent.
Ducere fulmineas hinc vos ad bella phalanges
Iordanes vidit, Lybiæque calentis arenæ,
Certantes patrij regnum protendere Cæli.
Nec seruata semel trepidæ Capitolia Romæ, (Galli Rom. Pontifices, & Romani sæpe tutati sũt.)
Viderunt pulchris volitantia lilia signis,
Casuras Palmas, Latijque tuentia laurus.
Crescite: Defensi vos lactent munera Olympi.
Crescitis. En alius tua lilia mundus adorat,
Gallorum Princeps. Boreæ domus imminet oræ,
Quæ tua sceptra colit, magnamque excurrit in Arcton (Regnum Nouæ Galliæ alluitur à lacu immenso, cui nomen Mare dulce.)
Hibernum Canadæ regnum, quod circuit vndis
Dulcibus Oceanus; sed opum stans mole suarum,
Aurea barbaricis nil debet Gallia regnis,
Mundique instar habet, quæ suggerit omnia, tellus.
Hæc vbi dicta, sibi quisque hunc deposcit honorem,
Vt qua luce redit sacras reuocatus ad aras,
Prodeat æthereas ortus Delphinus in auras.
Vicistis Diui, palmam neque victor ademit

Optatam reliquis: communia gaudia mundi
Nos hilarant; communem agitant dum sidera plausum.
Nascere magne Puer, vires, alimentaque laudum
Cui Cœli labor afflauit, sudántis Olympi
Nascere non impar donum: tibi prodiga sese
Porrigit in cunas Libani viuacior arbor.
Iordanes vndam sancto properare lauacro
Ambit, & infantem liquido perfundere Cęlo.
Ast vtero egressum Charites famulantibus vlnis
Excipiunt; en ambrosium per corpus odorem,
Et Cylicum nimbos ducunt; sed Gratia frontis,
Quæ micat in Pueri Genitrici concolor ore,
Nutrices vincit Diuas: hinc fingere vultus,
Et cupiunt ornare suos. Vt lumina Patrem
Spirant, vt Genitrix pulcherrima viuit in ore!
Vt lepor iram mulcet, & efferat ira leporem!
Bellicus vt blando prodit se fulgure risus,
Iam palmis inhians! Viden, vt cunabula Musæ
Dum cingunt sertis, Infans gestire videtur,
Vt Laurus iungant sertis, palmasque ligustris!
Eueniet, Puer alme: tuos tunc nostra sonabit
Calliope sacros plectro grauiore triumphos,
Quæ nunc felicis partus, quo tota superbit
Gallia, & insueta captus dulcedine mundus,
Atterit, ò nimium, properato carmine laudes.
Sed rapuit me blandus amor, rursusque silentis
Memnonis exoriens animauit marmora Phæbus.
Non tamen Ætherei mentem vulgare Senatus
Ausus, quasque ferant venientia sæcula palmas,

Nascitur dicata Diuis omnibus luce.

Ar-

Arguar vt falſus: certus mihi teſtis Apollo;
Et quæ ſigna monent, de te quid cogitet æther:
Fulminei calybes, quos Cælo ardere ſereno
Intentos iugulo Thracum Germania vidit;
Motibus exultans tellus, ignita Veſeui
Pyramis inſultans aſtris, feſtoque fragore
Portendens Orbi felicia fata labanti:
Dædalei cineres, quos Numinis arte magiſtra
Pingere ſtemma Crucis mirata eſt proxima Siren:
Voſque adeo, vidit quos ætas noſtra renatos
Centimani Briarei, & monſtri forma bifrontis,
Quæ dudum ingrata merſam caligine mentem
Omine torſiſtis dubio, nunc tollite vultum
Pulcra ſerenatam portenta hilarantia mentem.
Vos Puer abſoluit, partu quem regia nuper
Explicuit fauſto Genitrix: Delphinus, amores,
Deliciæque Orbis, Cœli præſaga fauentis
Prodigia impleuit: metuant ſua funera Thraces,
Quando calybs ferale rubens exarſit in aſtris,
Præuius Heroi, quem Thracia fulminis inſtar
Horrebit luna: exultet concuſſa fragore
Inſolito tellus, & ſedibus excita, curſum
Regis in obſequium nitatur carpere Galli.
Piramis inſultans aſtris, tibi Cynthia noctem
Offundat: Pueri ſic olim ſigna volabunt,
Aureâ quæ flammâ Diuorum ars dædala pinxit,
Strataque Otomanni per humum vexilla trahentur,
Quæ notat Odriſijs Phebe famulata bicornis.
Ambitioſa Crucis labarum victricibus armis

Agmi-

Agmina certatim inſcribent, cum Regius Infans
Ornabit roſeas prima lanugine malas.
Multiplici fœcunda manu fuit edita proles,
Fœdera portendens Regum; nam corpus in vnum
Celtiber, & Gallus, potorque Boriſthenis acer,
Italus, & Rhenum pedibus qui calcat, acuto
Frigore concretum, nec Regia ſceptra peroſus
Londini ciuis, dextras miſcebit amicas,
Et velut ex vno pendentia vertice membra,
Relligionis amor communem armabit in hoſtem.
Creſce Puer ſanguis Diuûm, felicior alter
Quo non vitales in luminis editus auras.
Militat augurijs tibi Numen, & aſtra cruentum
Sufficiunt hoſtis condendum in viſcera ferrum.
Lactarunt lenta cupidam ſpe fœdera mentem
Chriſtiadum, iurata Canem nunc perdere Thracem,
Agmina miſcebunt, quos iungis ſanguine, Reges,
Faſciolas vexilla dabunt, patrijsque triumphis
Sedula te nutrix inuoluet: lilia vultu
Aurea ridenti cernens, mox brachia vinclis
Vrgeri impatiens, iam tum volitare per auras
Signa Palæſtinis cupies fulgentia campis,
Vtque manus nodis, puerilia vota flagrabunt
Soluere, Libertas iacuit quo clauſa, ſepulcrum.
Ite triumphales generoſa ad prælia turmæ:
Pannonia, & quam vis animat Troiana renaſcens
Creta, laborantes pulchro vos Marte fatigent.
Cum virtus Regi fortes properauerit annos,
Vim pauido incutiet Turcæ: ſpoliabitur ingens

Vr-

Vrbs Constantini, consuetaque frena recusans
Bosphorus ediscet Gallorum ambire catenas.
Sic tibi Sequanicis à Regibus aurea surgent
Fata, Fides, peperit Genitor cui Pace Triumphos,
Sacro Delphinus bello, Patris orsa sequutus,
Proferet Imperium rosei ad cunabula solis.

FINIS.



